

Analysis fidei.

1. Processus logicus.

Processus logicus duos syllogismos complectitur:

a Quidquid Deus sciens homini veraciter revelat, est homini credendum.

Atqui hoc est quod Deus sciens homini veraciter revelat.
Ergo hoc est homini credendum.

b Si illud, quod homini est credendum, naturalem intellectus humani proportionem excedit, tunc homo de facto ad finem supernaturalem ordinatur et destinatur.

Atqui illud, quod homini est credendum, naturalem intellectus humani proportionem excedit.

Ergo homo de facto ad finem supernaturalem ordinatur et destinatur.

c Sensus huius alterius syllogismi sic exponitur.

Quod est homini credendum, est bonum humani intellectus; scilicet, est bonum, non tantum absolute (sicut omne ens est bonum) sed etiam relative ad intellectum humanum (sicut cibus est bonum animali).

Iam vero quod est bonum relative ad intellectum humanum aut jacet intra naturalem eiusdem proportionem aut supponit humanum intellectum et ideo etiam ipsum hominem de facto ad finem supernaturalem ordinari. Nam bonum relative ad potentiam dicit perfectionem ipsius potentiae; perfectio autem potentiae advenit aut qua naturali aut qua obedientiali.

Quare maior secundi syllogismi est propositio analytica.

Sensus minoris non respicit sive analysisin, sive credibilitatem, sive veritatem mysteriorum. Agitur de facto omnibus aperto, nempe, revelationem non proponi more Euclidiano, imo ita proponi ut per prius sit credenda quam intelligenda, quia hac in vita adaequate intelligi non possit (DB 1796).

d Duo syllogismi per modum unius sic exprimi possunt:

Quidquid Deus sciens homini veraciter revelat, est homini credendum; quod si credendum naturalem humani intellectus proportionem excedit, homo de facto ad finem supernaturalem ordinatur et destinatur.

Atqui hoc est quod Deus sciens homini veraciter revelat; quod sane continet ea quae naturalem humani intellectus proportionem excedunt.

Ergo homo de facto ad finem supernaturalem ordinatur, et ideo totum revelatum, mysteriis inclusis, ei est credendum.

2. Processus psychologicus.

Processus psychologicus in duas dividitur partes. Alii enim actus remote fidem antecedunt; alii proxime in ipsam fidem ducunt.

Actus principales, qui remote fidem antecedunt, sunt quattuor iudicia quibus quis affirmat veras esse quattuor praemissas supra recitatas.

Actus secundarii, qui remote fidem antecedunt, sunt omnes quibus ad haec quattuor iudicia proferenda pervenitur.

Actus qui proxime ipsam fidem respiciunt sunt sex sequentes.

Primus est ipsum initium fidei supernaturale. Consistit in actu intelligendi reflexo quo quis perspicit evidentiam sufficere ut rationabiliter eliciat quinque actus sequentes.

Secundus est iudicium practicum credibilitatis mysteriorum. Consistit in eo quod quis affirmat se in finem supernaturalem de facto ordinari et destinari, ideoque mysteria credere bonum sibi esse.

Tertius est iudicium practicum credentitatis. Hoc iudicio affirmatur totum revelatum, mysteriis inclusis, esse credendum.

Quartus est volitio finis. Hoc actu homo vult finem supernaturalem ad quem ordinatur, eumque prosequi intendit.

Quintus est volitio medii seu ipse pius credulitatis affectus. Homo consentit obligationi credendi, et assensum fidei imperat.

Sextus est ipse fidei assensus, in intellectu elicited, a voluntate libere imperatus.

3. Quid sit actus intelligendi reflexus.

Incrementum cognitionis humanae tribus gradibus perficitur.

Primus gradus est experientia. Consistit in actibus sensuum externorum et interiorum.

Alter gradus est intelligentiae. Incipit ab admiratione illa quae exprimitur per questionem, Quid sit. Consistit in duobus actibus; primo ipsa quidditas sive rei sive nominis intelligitur; deinde eadem per definitionem, cogitationem, considerationem, vel suppositionem, verbo interiori incompleto dicitur.

Tertius gradus est reflectionis. Incipit ab inquietudine critica quae exprimitur per quaestionem, An sit. Pergit ad totam evidentiam colligendam atque ordinandam sive in sensibus invenitur, sive in memoria, sive in definitionibus, sive in hypothesibus, sive in iudiciis anteactis. Quibus omnibus collectis et ordinatis, incipit ponderatio quaedam atque mensuratio ad determinandum utrum evidentia ad iudicium fundandum proportionetur neque. Quae reflectio, ponderatio, mensuratio terminatur ad actum intelligendi reflexum quo perspicitur evidentia certo, probabiliter, possibiliter, dubie, nullo modo sufficere ut iudicium eliciatur. Denique, perspecta evidentia, oritur necessitate quadam rationali ipsum iudicium seu verbum interius complexum.

4. Quod in processu fidei psychologico cardo est actus intellegendi reflexus.

Cardo cuiusdam processus in illo actu est ponendus in quo omnia antecedentia in unum colliguntur et omnia subsequenta anticipantur et quodammodo fundantur.

Iam vero in actu intellegendi reflexo omnia antecedentia in unum colliguntur. Actus enim remote fidem antecedentes constituunt quamdam evidentiae apprehensionem. Quae apprehensio aliter fit in doctis et aliter in incultis, aliter in fidem habentibus et aliter in iis qui ad fidem procedunt. Multos et diversos et diversos actus includit circa quaestiones philosophicas, historicas, physicas, apologeticas. In quibus pervestigandis atque perscrutandis facile tota vita humana consumi potest, nisi quis ponit quaestionem reflexam de proprio fine ac credendi obligatione. Quae sane auaestio manebit infructuosa, nisi incipitur labor colligendi et ordinandi omnia ita ut perspicui possit quemadmodum ad quaestionem sit respondendum. Quod si perspicitur, actu intellegendi reflexo perspicitur.

Praeterea, idem actus reflexus anticipat et quodammodo fundat omnia quae subsequuntur. Fides enim non est caecus animi motus (DB 1791). In eo enim differt natura rationalis a natura caeca et spontanea quod haec certis legibus gubernatur, illa vero se gubernat hac lege generalissima, nempe, principio rationis sufficientis obtemperandum est. Quod principium ut valeat, necesse est ut actus futuri anticipentur, ut anticipati secundum hoc principium mensurentur, ut anticipati et mensurati ideo denique fiant quia huic principio satisfaciunt. Actus enim humani eatenus sunt rationabiles quatenus ex respecta eorum rationabilitate procedunt. Ita iudicium rationale est, quia ex respecta evidentiae sufficientia procedit. Ita pariter volitio est rationalis, quia eius obiectum per prius iudicatur bonum seu secundum rationem (nam bonum hominis est secundum rationem esse).

Qua de causa in processu fidei psychologico et rationabili, actus intellegendi reflexus non solum antecedentia in synthesin redigit sed etiam eadem ponderat atque mensurat secundum eorum proportionem ad actus subsequentes, nempe ad iudicia practica credibilitatis et credentitatis, ad volitiones finis et mediis supernaturalis, denique ad ipsum fidei assensum imperandum atque eliciendum.

Quibus dictis satis elucet actum intellegendi reflexum 1) supponere transitum a quaestionibus mere scientificis et philosophicis in quaestionem practicam et religiosam, 2) addere unitatem actibus remote fidem antecedentibus, 3) eorum fructum colligere et percipere, 4) perspicere rationabilitatem omnium actuum subsequentium usque ad fidei assensum inclusive, et 5) fundare eosdem actus omnes quatenus rationabiliter in homine fiunt.

5. Quantum differunt processus logicus et psychologicus.

Processus logicus est abstracta quaedam repraesentatio processus psychologici.

Ita syllogismus logicus continet tres propositiones quae repraesentant obiecta iudiciorum possibilium.

Syllogismus vero psychologicus continet tres iudicandi actus quibus homo rationabiliter verum affirmat.

Syllogismus logicus continet vocem illam, Ergo, quae repraesentat obiectum cuiusdam possibilis actus reflexi intellegendi.

Syllogismus vero psychologicus continet actualem actum intellegendi reflexum quo quis sub influxu reflexionis criticae modo synthetico evidentiam in diversis actibus dispersam apprehendit eamque sufficere pespicit ad iudicium rationabiliter proferendum.

At processus fidei psychologicus addit super syllogismum non solum logicum sed etiam psychologicum.

Nam in actu intellegendi reflexo qui ad fidei assensum ducit, non solum iudicium credentitatis anticipatur, sed etiam libera volitio et ipse assensus imperandus. Fides enim non est caecus animi motus.

Praeterea ita actus anticipantur, non ut abstracte describi possunt, sed ut concrete fiunt. Anticipantur ergo novae obligationes per fidem affirmandae, nova vita inchoanda, novae habitudines ad alios homines caritate diligendos, nova submissio intellectualis ad magisterium ecclesiae subeunda, et maxime nova habitudo ad Deum per virtutem fidei theologicam incipienda.

Quibus pespictis, vehementer sane errare est ille dicendus, qui totum processum psychologicum ignorans vel omittens, processum fidei ex sola analysi logica aestimat atque iudicet.

6. Quid sit coactio intellectus et quid rationalizatio.

Obiectiva intellectus coactio est ab ipsis rebus vel rerum testimoniis cognoscendis, quae contradictoria se opponant ad iudicia falsa.

Subiectiva intellectus coactio 1) ex ipsa experientia oritur, 2) per claram intellegentiam et distinctam conceptionem augetur, et 3) per ipsam intellectus legem, nempe, principium rationis sufficientis imponitur.

Daemones ergo, qui valde perspicaces sunt per naturam, maximam intellectus coactionem subeunt. Qui tamen cum ad finem supernaturalem non ordinantur, sciunt mysteria revelata non esse bonum relate ad proprios intellectus, et ideo in fidei assensum progredi non possunt. Vide Sum. Th. II-II, q.5, a.2.

Homines vero qui fidem iugum grave ducunt eamque amplecti nolunt, ipsam intellectus coactionem evitare conantur. Qua de causa, rationes quaerunt cur falsum iudicetur verum, et verum pro falso habeatur. Qui processus rationalizatio nominatur, unde ecclesia novos perpetuo errores invenit refutandos.

7. Quid sit analysis fidei:

Cum scientia sit certa rei cognitio per causas suas, analysys fidei intendit assensum fidei resolvere in causas omnes, intrinsecas et extrinsecas, proximas, medias, et immediatas seu primas.

Agitur ergo de analysi ontologica, psychologica, typica: ontologica, quia de rebus et de actibus agitur; psychologica, quia res sunt cognoscendae et volendae, actus vero sunt intellectus et voluntatis; typica, quia de necessariis vel saltem communiter contingentibus tractatur.

Haec igitur quaestio non est apologetica (quaenam sit vera fides), nec practica (quemadmodum vera fides suadeatur), nec logica (e quibusnam praemissis sequantur conclusiones validae). Sed actus verae fidei existere supponitur, et quaeritur per rationem fide illustratam quid sit.

8. Brevis conspectus:

Omne ens finitum est in finem; habet formam per quam fini proportionatur; est ab agente seu movente; et existit in quodam subjecto.

Subjectum fidei seu causa materialis est homo viator.

Finis est terminus per fidem cognoscendus, nempe, ipse Deus unus et trinus, praesens oeconomia salutis, Christus incarnatus, ecclesia, etc.

Objectum formale est verum, nunc, verum a Deo revelatum.

Notandum est verum esse in intellectu, in ipso assensu.

Bonum et malum sunt in rebus; verum et falsum sunt in intellectu.

Iterum, veritas logica formaliter est in solo iudicio seu assensu.

Quod verum est quodammodo forma per quam actus fidei suo termino seu fini proportionatur; veritas enim est adaequatio intellectus et rei. Aliis verbis, per verum cognoscimus rem.

Porro, objectum formale fidei est illud verum quod est totum revelatum. DB 1789: ab eo (Deo) . revelata vera esse credimus. DB 1792: omnia credenda quae in verbo Dei continentur et qua revelata ab ecclesia proponuntur.

Quare objecta materialia sunt singula quae in objecto formali continentur. Ita qui quaerit utrum hoc vel illud sit de fide, quaerit de objecto materiali. Pariter haereticus qui alios articulos credit et alios reicit, objecta materialia fidei attingit sed objectum formale reicit. Similiter schismaticus qui revelatum magisterium vivum reicit, haeretico est aequiparandus.

Quantum ad causam agentem attinet, recolendum est fidem produci in intellectu rationali ideoque non secundum caecam quandam causalitatis legem sed secundum principium rationis sufficientis. Qua de causa sermo fit non de causa agente sed potius de motivo.

Quod motivum est duplex:

Motivum fidei in facto esse est ipse Deus sciens et veraciter revelans. Fides enim est illa cognitionis species cuius ultimum "cur" est scientia alterius.

Motivum fidei in fieri est fundamentum processus psychologici quo quis ad ipsam fidei assensum pervenit. Uti videbimus, invenitur in actibus remote et proxime fidem praeparantibus.

Analysis fidei

9. Motivum fidei in facto esse.

Non agitur de processu psychologico qui in assensum fidei ducit. Sed quaeritur de ipso fidei assensu, qui est actus naturae rationalis, et ideo non solum obiectum attingit (sicut visus colorem) sed etiam dicit habitudinem ad rationem, causam, motivum, fundamentum cur obiectum attingat.

Porro illud est fidei proprium quod ultimum suum motivum est scientia non credentis sed eius in quem credit.

Cur revelatum credis? Quia est verbum Dei. Cur verbum Dei credis? Quia Deus veraciter loquitur, imo fallere non potest. Cur Deo veraciter loquenti credis? Quia veraciter loquens dicit id quod in mente habet, et de eo quod Deus in mente habet, nulla potest esse quaestio. Est enim omnisciens. Falli non potest. Quare ipsa Dei scientia seu ipsa prima veritas est ultimum fidei motivum, fundamentum, causa, ratio.

Quod aperte docet Vaticanum: "propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest." DB 1789, 1811.

Cui consentiunt fideles. Si enim obiectiones vel dubia proponis, non respondent ex propria scientia sed Deum scientem et veraciter revelantem invocant. Imo retorquent, An tu arbitraris te melius scire quam Deus?

Quare dubia de fide sunt dubia de scientia vel veracitate divina et tanquam tentationes sunt repellendae.

Quare fides est infallibilis et firma super omnia. Deus enim infallibilis est et super omnia stat omniscientia.

Etiam fides est essentialiter obscura ratione motivi; Deum enim scientem non perspicimus.

Unde concludes assensum fidei in facto esse non fundari in propria cognitione sive per rationem sive per ipsam fidem acquisita. Non enim docet Vaticanum nos vera credere quia scimus vel credimus Deum scire et veraciter revelare; sed docet "propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest."

Praeterea, propter quod unumquodque tale, et illud magis. Quare si fides esset propter aliquam nostram cognitionem, ex illa cognitione esset mensuranda; firmiter esse non posset; certior esse non posset.

Neque dici potest assensus fidei esse propter illam cognitionem nostram quae ipsa fide attingitur. Haec enim esset vana circulation in causis seu rationibus.

Dices: assensus fidei aut est propter scientiam Dei cognitam aut est propter scientiam Dei incognitam.

Respondeo: assensus fidei est propter scientiam Dei quae cognoscitur et assignatur tum ratione tum ipsa fide; at assensus fidei non est quia scientia Dei cognoscitur sive ratione sive fide; neque est quatenus cognoscitur sive ratione sive fide.

Quaestio quae tractatur non est de obiecto sed de motivo. Obiectio supponit vel supponere videtur eatenus obiectum attingi quatenus motivum cognoscitur. Quod valet de scientia sed non de fide. Fides enim in eo consistit quod ultima sua ratio est scientia non propria sed alterius.

Quibus perspectis elucet quid sit problema rationalitatis fidei, nempe quemadmodum fieri possit ut quis cognoscat propter scientiam non suam sed alterius.

Analysis fidei

1C. De obiecto formali supernaturali.

Notum est principium Aristotelicum-Thomisticum; Actus cognosci ex obiectis; habitus ex actibus; potentias ex habitibus; et ipsam animae essentiam ex potentiis. Vide Sum.Theol. I, q. 87.

Notum est axioma theologicum; supernaturalia secundum analogiam naturae aliquantulum intelligi. DB 1796.

Unde analysis theologica et Thomistica ponit gratiam sanctificantem in ipsa animae essentia; ex gratia fluunt virtutes infusae sicut potentiae ex essentia animae; ex virtutibus fluunt actus, sicut actus naturales ex habitibus naturaliter acquisitis; denique per actus attingi obiecta ex quibus ipsi actus speciem ducunt.

Quare dicendum est doctrinam de obiecto formali supernaturali fundari in principiis methodologicis cum philopophicis tum theologicis.

Obicit tamen P. Lennerz, #327; Quamvis obiecta specificiter diversa fundant diversas actuum species, non tamen convertitur. Fieri potest ut diversae sint actuum species quin differant obiecta. Et ponit exemplum. Videre in equo et videre in homine habent obiectum formale commune, nempe, colorem. At sunt actus diversae perfectionis ontologicae. Nam videre in equo ab anima materiali procedit, sed videre in homine ab anima spirituali. Unde concludit perperam diversitatem obiecti formalis deduci ex ontologica diversitate inter actum naturalem et supernaturalem.

Respondetur: argumentum fundatur in exemplo quod rem probaret nisi falsum supponeret; at falsum supponit; quare nihil probat.

Dicimus eandem esse perfectionem ontologicam ubi idem est obiectum formale. Videre in equo et videre in homine sunt operationes materiales, motus coniuncti. Sicut anima et corpus formant compositum hylemorphicum, ita visus et oculus formant compositum accidentale; videre, sive in equo sive in homine, est motus istius coniuncti seu compositi ex oculo et visu.

Verum sane est visum humanum fluere ex anima spirituali, et visum equinum fluere ex anima materiali. Sed verum non est visum humanum esse independentem a materia sive secundum esse sive secundum operari; et ideo verum non est visum humanum esse potentiam spiritualem. Ipsa anima humana est spiritualis quia est forma subsistens quae existere potest sine corpore et operari habet independens a corpore. Sed potentia sensitiva humana non est forma subsistens; operari suum est motus coniuncti et in hoc differt ab intelligere quod fit sine organo; esse suum est esse in materia et ideo in anima separata non actu existunt potentiae sensitivae sed tantum virtute.

Vide I, 77, 8.

Instat tamen P. Lennerz, #333, obiectum formale supernaturale non clare assignari, imo fautores opinionis obiectum derelinquere et ad motivum confugere.

Quare haec quaestio elucidanda manet. Et cum alibi de aliis actibus supernaturalibus tractavimus, nunc de obiecto formali fidei pauca sunt dicenda.

11. Quod qui credit sicut oportet, objectum formale supernaturale attingit:

Absolute supernaturale est quod excedit proportionem cuiuslibet substantiae finitae. Quare supernaturale quoad actus cognoscitivos est id quod excedit proportionem cuiuslibet intellectus finiti.

Porro duplex est operatio intellectus. Prima operatio est qua intelligitur rei essentia seu quidditas; et secundum hanc operationem objectum proportionatum intellectus humani est quidditas rei materialis. Unde beati Deum uti in se est videntes, attingunt objectum formale supernaturale. Viatores autem concipientes sive ipsam Deum sive bona supernaturalia per negationem, analogiam et excessum, nihil faciunt quod excedit naturalem proportionem intellectus finiti.

Altera intellectus operatio est qua attingitur verum et ens. Quae rationes cum transcendentales sint, omnia prorsus includunt. Attamen a diversis naturis diverso lumine attingitur verum et ens. Verum enim naturaliter ab homine attingitur naturali humani intellectus lumine. Verum naturaliter ab angelo attingitur naturali angelici intellectus lumine. Verum denique naturaliter a Deo attingitur naturali divini intellectus lumine.

Quid per illud nomen, lumen, dicitur? Dicitur illa mentis virtus ex qua oritur critica reflexio et quaeritur circa essentiam intellectam et conceptam, An sit? Dicitur illa mentis virtus quae, cum sufficientia evidentiae sit perspecta, facit iudicium rationabiliter necessarium et cum sufficientia evidentiae non sit perspecta, facit iudicium rationabiliter impossibile. Dicitur illa mentis virtus quae, cum bonum quoddam obligatorium iudicetur, deliberantem moraliter compellit, volentem pace donat, nolentem inquietudine pungit. Dicitur illa mentis virtus sine qua non quaeritur de vero, sine qua evidentiae non assentitur, sine qua obligationi morali non ceditur. Non est vanum vacuumque nomen in homine; et multo minus in angelo; minime vero in Deo ad cuius imaginem et similitudinem facta est creatura rationalis.

Quibus perspectis concluditur illud verum esse supernaturale quod 1) nulli intellectui finito naturaliter innotescere possit, et 2) lumine proportionato attingitur.

Iamvero mysteria sunt vera quae, nisi divinitus revelata, innotescere non possunt, DB 1795, quae excedunt intellectum creatum, DB 1796, quae per rationem etiam rite excultam, neque intelligi neque demonstrari possunt, DB 1816.

Quae vera lumine proportionato attinguntur per ipsum Deum, cui lumen divinum est naturale, per beatos qui ipsum Deum immediate vident, et lumine gloriae gaudent, et denique per eos qui credunt sicut oportet et ideo neque proprio lumine neque propriae scientiae inhaerent vel innituntur sed lumini divino et scientiae divinae. Uti enim vidimus, fides est illa cognitionis species cuius ultima ratio est lumen scientiaeque alterius. Uti vero videbimus, lumen fidei est illud in nobis receptum quo possimus lumini scientiaeque divinis inhaerere.

Contra, qui credunt sicut non oportet, veritatem mysteriorum attingunt quidem sed non lumine proportionato. Daemones enim propriae ingenii perspicuitati innituntur, et propter eam mysteria ducunt vera. Haeretici vero et schismatici lumini humano cedunt, cum ex veris a Deo revelatis ea seligunt quae propriae indoli vel culturae naturali vel temporibus modernis convenire arbitrentur.

12. Quod iterum aliter ponitur.

a Actus fidei est absolute supernaturalis.

Fieri enim non potest ut quis credat sicut oportet sine gratia Dei. DB 179,180,813.

Quae gratia requiritur, non propter solam fidem quae per caritatem operetur, DB 1814, sed propter ipsam fidem quae in se est donum Dei, DB 1791.

Quare fides est virtus supernaturalis, DB 1789.

b Actus supernaturalis per objectum formale supernaturale specificatur. Nam supernaturalia aliquo modo intelligi possunt; et haec intelligentia habetur ex analogia eorum quae naturaliter cognoscuntur, DB 1796. Naturalis cognitio actuum est ex objectis scdm methodum Aristotelico-Thomisticam, Sum.Theol., I, q. 87. Ergo in quantum theologia de actibus supernaturalibus tractat, eorum specificationem ex objecto formali et supernaturali quaerit.

c Id quod est formale in actu fidei est verum.

Actus enim fidei est assensus (DB 1791). Id quod attingitur in iudicio vel assensu est verum, nam caetera iam in ipsa quaestione adsunt. E.g., An bis bina sunt quatuor? Sunt. An Deus est trinus? Est. Id quod per iudicium vel assensum quaestioni additur est 1) in quantum est actus, adhaesio uni parti contradictionis, et 2) in quantum actus cognoscitivus est, vera adhaesio, seu adhaesio illi parti quae rei correspondet.

d Verum supernaturale contra verum naturale dividitur, non per speciem rei quae cognoscitur, sed per lumen intellectuale quo cognoscitur.

Verum enim est transcendentale, et omnia vera in se includit. Quare naturalis proportio intellectus finiti non exceditur, eo quod quis hanc vel illam rem vere cognoscit. Nam verum transcendentale includit omne verum, sicut ens transcendentale includit omne ens. Et sicut ens ita etiam verum transcendentale est objectum adaequatum intellectus.

E contra, id quod excedit proportionem cuiuslibet intellectus finiti est attingere verum non per lumen ei naturaliter inditum, neque per lumen alteri creaturae naturaliter inditum, sed per lumen quod cuiuslibet finiti intellectus excedit proportionem.

e Quibus perspectis concluditur: actum fidei esse supernaturalem (ex a), objecto formali supernaturali specificatum (ex b), quod objectum qua formale esse verum (ex c) et qua supernaturale esse verum lumine supernaturali fundatum (ex d).

Iam vero lumen ipsum divinum 1) excedit proportionem cuiuslibet substantiae finitae, 2) facit ut Deus falli non possit in quantum concipitur ut principium iudicii divini, 3) facit ut Deus fallere non possit in quantum concipitur ut principium rationabilis volitionis divinae, 4) ideoque identificatur cum ipsa auctoritate Dei revelantis qui nec falli nec fallere potest, et 5) scdm Vaticanum est motivum proprium fidei in iis qui credunt sicut oportet.

13. De actibus qui proxime fidem antecedunt.

a Proxime actum fidei antecedunt quinque actus supra (#2) enumerati, nempe, actus intelligendi reflexus, judicia practica credibilitatis et credentitatis, et volitiones finis et medii supernaturalium.

b Quia actus existunt, si existit assensus fidei liber et rationabiliter ortus.

Si enim assensus fidei est proxime liber, imperatur a libero actu voluntatis.

At fides est medium ad justificationem et salutem. Quare si rationabiliter volitur, ut medium volitur. Et nemo vult medium qua medium, quin finem velit.

Existit ergo volitio finis supernaturalis.

Existunt pariter judicia practica circa hunc finem et hoc medium; nihil enim volitur nisi praecognitum.

Quae judicia ut rationabilia sunt, ex perspecta evidentia sufficientia procedant necesse est. Et perspicere evidentiam esse sufficientem est actus intelligendi reflexus.

c Qui actus sunt supernaturales ab objecto formali supernaturali specificati.

Supponitur quod nuper probatum est, nempe, assensus fidei esse actus specificatus ab objecto formali supernaturali.

Etiam supponitur quod supra (#4) dictum est, actus subsequentes inde ab actu intelligendi reflexo anticipari.

Quibus compositis habetur id quod intenditur.

Quod enim objectum attingitur credendo sicut oportet, idem objectum attingitur volendo credere sicut oportet, et iudicando se debere credere sicut oportet, et perspicendo evidentiam sufficere ut ipse ita iudicet, et velit, et credat.

Praeterea, propter quod unumquodque tale, et illud magis. Iam vero dependent volitio et assensus fidei a volitione finis et volitio finis dependet a iudicio de fine. Sed volitio et assensus fidei sunt actus supernaturales. A fortiori, supernaturales sunt actus in quibus virtualiter praecontinentur et tamquam e causis proximis et proportionatis fluunt.

d Quemadmodum differunt iudicium de fine supernaturali et naturale desiderium videndi Deum per essentiam.

Primo, iudicium est actus cognoscitivus; desiderium autem non est cognitio sed cognoscendi desiderium. Consistit desiderium in illa admiratione quae oritur post cognitam Dei existentiam et sponte manifestatur illa quaestione, Quid sit Deus.

Secundo, iudicium respicit statum hominis actualem seu actualem ordinationem hominis in Deum videndum. Desiderium autem respicit eundem finem non ut actualem sed ut possibilem.

Tertio, iudicium est actus supernaturalis qui campum philosophicum excedit, DB 1669. Desiderium est mere naturale.

14. De actibus qui remote fidem antecedunt.

a Actus qui remote fidem antecedunt sunt alii principales et alii secundarii. Principales sunt quattuor actus iudicandi quibus affirmantur praemissae duorum syllogismorum sub numero primo (#1) recitatorum. Secundarii sunt qui in principales ducant, puta, philosophiam sanam et theologiam fundamentalem.

b Actus principales non excedunt naturalem intellectus humani proportionem. Quod per partes probatur.

1) Quidquid Deus sciens veraciter homini revelat, est homini credendum.

Pius IX, "Quis enim ignorat vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit." DB 1637

At quod nemo ignorare potest, non excedit naturalem rationis humanae proportionem.

2) Hoc est quod Deus sciens veraciter homini revelat.

Pius IX, "sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci debet, divinam esse Christi religionem" DB 1638,

Si ratio evinci omnino debet de divina origine religionis christianae, hoc factum cognoscere non excedit naturalem rationis proportionem.

Pius XII, "...tam multa ac mira signa externa divinitus disposita sint, quibus vel solo naturali rationis lumine divina christianae religionis origo certo probari potest." Humani generis, AAS 42 (1950), 562.

Pius XII, "In comperto est quanti Ecclesia humanam rationem faciat, quod pertinet ad existentiam Dei certo demonstrandam, itemque ad ipsius christianae fidei fundamenta signis divinis invicte comprobanda...." ibid, 571.

Vaticanum, DB 1812, 1813, 1790, 1794. Etiam DB 1799: recta ratio fidei fundamenta demonstrat.

3) Homo ad finem supernaturalem de facto ordinatur, si Deus ei credendum imponit quod naturalem intellectus proportionem excedat.

Est propositio analytica. Vide #1, c.

4) Illud quod revelatum est excedit naturalem intellectus proportionem.

Sensu quo dicitur, est obvium in praedicatione fidei. Vide #1, c.

c Cum actus principales non sint supernaturales quoad substantiam, a fortiori idem est dicendum de actibus secundariis in quantum in principales ducant. E.g., existentia Dei quae est totius negotii fundamentum. DB 1806.

15. De gratia conversionis ad fidem.

a Requiritur gratia supernaturalis quoad substantiam (gratia elevans) ad actus eliciendos qui proxime ipsam fidem respiciunt.

Nam hi actus sunt supernaturales et specificati ab objecto formali supernaturali. Cf. supra, 13, c.

b Pro diversa singulorum indigentia requiritur gratia ad actus eliciendos qui remote in fidem ducunt. Quae gratia per se est gratia sanans seu supernaturalis quoad modum.

Quod requiritur gratia, sic arguitur:

Pius IX: Humana ratio est peccato originali vulnerata et extenuata. Unde quaerit Pontifex: "ecquis satis esse rationem ducat ad assequendam veritatem?" DB 1643, 1644.

Pius XII: "Quin immo mens humana difficultates interdum pati potest etiam in certo iudicio 'credibilitatis' efformando circa catholicam fidem, quamvis tam multa ac mira signa externa divinitus disposita sint quibus vel solo naturali rationis lumine divina christianae religionis origo certo probari possit. Homo enim sive praedudicatis ductus opinionibus, sive cupidinibus ac mala voluntate instigatus, non modo externorum signorum evidentiae, quae prostat, sed etiam supernis affatibus, quos Deus in animos ingerit nostros, remuere ac resistere potest." Humani generis, AAS 42 1950 562.

Vaticanum: "... voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias..." DB 1790

Sicut ipsa fides fideles docet ea quae naturaliter cognosci possint ut omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore innotescant (DB 1786), ita etiam conveniens est Deum infideles adiuvari per suam gratiam ut naturales veritates addiscant.

Quod huius gratiae indigentia non est eadem in omnibus.

Quamvis enim peccatum originale originatum sit omnibus commune, diversa tamen in diversis sunt indoles, errores, opiniones praedudicatae, mala voluntas, etc.

Quod per se haec gratia est sanans seu supernaturalis quoad modum.

Nam id quod intenditur directe est naturale. Actus enim remote fidem antecedentes, uti vidimus supra No. 14, b, non excedunt naturalem intellectus humani proportionem.

c Quibusnam gressibus infidelis ad fidem producit.

Primo modo, praeter intentionem suam sed secundum intentionem divinae providentiae. Et sic infidelis elicit actus singulos propter finem quemdam naturalem qui tamen, cum simul sumuntur, in ipsam fidem remote ducunt. Ita addiscere potest scientias, philosophiam, theologiam naturalem, historiam, bonos mores, etc.

Secundo modo, secundum intentionem suam non tamen salutarem sed tantum in ordine ad verum naturaliter cognoscibile attingendum. Ita potest instituere inquisitiones in vetus et novum testamentum, in miracula et prophetias, in historiam ecclesiae et conciliorum, etc. Si quis ab eo quaerit cur hisce rebus det operam, respondet se verum investigare. Si obicitur quod sic in fidem perveniet, respondet, Si fides est vera, bonum erit pervenire; si est falsa, non perveniam. Si instatur quod mysteria erunt credenda, respondet rationabiliter credi quidquid Deus revelaverit. Si obicitur impossibile esse homini ex naturali rationis lumine ad mysteria affirmanda rationabiliter pervenire, respondet naturale obiectum intellectus adaequatum esse ens et verum; quae cum transcendentia sint, omnia prorsus includere. Brevi, quaerit verum naturaliter cognoscibile, totum, et nihil aliud.

Tertio modo, secundum intentionem suam salutarem. Nondum apud eum de facto revelationis constat. Tamen quaerit utrum salus invenienda sit apud catholicos. Intendit et vult salutem. Vult salutem neque fictam neque falsam sed veram. Perspecta veritas est conditio ut velit, et ideo voluntatem habet conditionatam. At quantum ad voluntatem attinet, res iam deceditur; nam conditione intellectuali impleta, statim absolute volet. Si quis ei mysteria credenda obicit, non tam invocabit verum transcendentale quam verum supernaturale. Hypotheticus quidam sed supernaturalis ei inest pius credulitatis affectus quo mysteria propter auctoritatem Dei credere vult modo Deus de facto ea revelaverit.

Quarto modo, ad actus proxime fidem antecedentes pervenitur. Gratia illuminationis intellectui inest non solum ut quaerat sed etiam ut perspiciat evidentiam sufficere ad iudicia elicenda circa actuale finem supernaturalem et circa obligationem credendi. Gratia inspirationis inest voluntati ut finem supernaturalem velit et ideo ut medium in hunc finem velit. Ex perspecta evidentia rationabiliter sequuntur iudicia. Ex iudiciis et volitione finis rationabiliter sequuntur consensus in obligationem credendi, imperium revelatis assentiendi, et ipse fidei assensus.

d Quae gratia ad singulos gressus requiritur.

Ad primum et secundum sufficiunt divina motio providentialis exterior et interior una cum gratiis sanantibus quae singulorum indigentis respondeant.

Ad tertium et quartum gressum requiruntur gratia illuminationis et inspirationis absolute supernaturalis. DB 178, 179, 180. Sed ad tertium gressum gratia illuminationis est ad quaerendum salutariter, et ideo gratia inspirationis est ad volendum hypothetice seu conditionate. Ad quartum gressum gratia illuminationis est non solum ad quaerendum sed etiam ad perspicendum, et ideo gratia inspirationis est ad volendum et prosequendum finem supernaturalem absolute et sine conditione.

e Quae omnia sunt recte intelligenda. Non enim directe impugnamus opinionem eorum qui tenent omnem gratiam quae de facto datur esse gratiam elevantem et absolute supernaturalem. Quando dicimus gratiam sanantem ad tales actus sufficere, de casibus hypothetice existentibus et abstracte definitis tractamus. Qui volunt omnem gratiam esse elevantem, hoc suum assertum probare possunt demonstrando istos casus hypotheticos nunquam de facto existere.

16. De proprietatibus fidei.

a Fides est rationalis cum in fieri tum in facto esse.

In fieri est rationalis quia evidentia ipsa solo rationis lumine certo cognosci potest et evidentiae sufficientia perspicitur ut rationabiliter eliciantur iudicia practica, volitiones et ipse fidei assensus.

In facto esse est rationalis secundum ipsam fidei naturam. Fides enim est illa cognitionis species cuius ultimus "cur" est scientia alterius. In fide vero divina haec scientia est ipsa Dei scientia. Quare fide divina nihil rationabilius esse potest.

b Assensus fidei est liber.

Proxime enim ipse assensus a libero imperio voluntatis producitur. Neque deest libertas in processu psychologico remotiore, cum omnis intellectualis operatio quoad exercitium actus a voluntate dependeat.

Notandum est ideo fidem esse liberam quia ad eam per rationem boni acceditur. Ad verum formale, quod in solo iudicio invenitur, dupliciter proceditur: aut per rationem intellegibilis sive descriptionis sive explicationis aut per rationem boni intellectualis; in priori casu attingitur notitia descriptiva vel scientifica; in posteriore casu attingitur fides. Quare omnis fides secundum propriam suam rationem est libera.

Ulterius notare oportet rationalitatem et libertatem fidei non inter se pugnare. Quamvis enim rationalitas imponit obligationem moralem, obligatio moralis, uti patet, non tollit libertatem.

c Assensus fidei est supernaturalis.

Ipse assensus attingit verum supernaturale, nempe, primam veritatem propter primam veritatem, seu ea quae a Deo sciuntur et veraciter revelantur propter auctoritatem ipsius Dei revelantis.

Proximus processus ad fidem est absolute supernaturalis.

Inde enim a cogitatione salutari per gratiam absolute supernaturalem illuminationis et inspirationis homo a Deo movetur in ipsam fidem, iustificationem, salutem. Vide par. 15, d.

Remotus processus de se gratia non indiget; sed in concretis hominum adiunctis gratia sanans requiritur et datur. Vide par. 15, b.

Notandum est gratiae necessitatem cum fidei rationalitate non pugnare. Gratia enim sanans datur ut homo sit rationalis; nisi homo enim rationalis de facto efficitur, per rationalitatem fidei ad ipsam fidem non ducitur. Gratia vero elevans datur ut homo ad rationalitatem fidei in facto esse pervenire possit; haec enim rationalitas qua homo divinae scientiae inhaereat et innitatur supra naturam est.

d Assensus fidei est obscurus.

Est obscurus ratione motivi; motivum enim fidei in facto esse est scientia qua Deus scit; quam scientiam homo non habet.

Est obscurus ratione obiecti principalis; hoc enim est ipse Deus mysteriis obvolutus quae per solam visionem beatificam penetrantur. DE 1796, 1816.

At de se non est obscurus ratione motivi processus psychologici quo ad fidem pervenitur. Fundatur enim in praemissis quae solo rationis lumine innotescere possunt.

e Assensus fidei est infallibilis.
Motivum enim est ipsa divina scientia; obiectum vero est id quod Deus scit et veraciter revelat.

f Assensus fidei est firmus super omnia.
Primo ratione infallibilitatis quae in motivo et in obiecto inveniuntur. Secundo ratione gratiae divinae per quam ad eam pervenitur et in ea perseveratur. Tertio ratione voluntatis quae Deo summum obsequium praestare tenetur.

g Assensus fidei est irrevocabilis.
Quamdiu homo credit, fides sua motivo supremo innititur, nempe, ipsi lumen divini intellectus qui nec falli nec fallere potest. Praeterea, per ipsum fidei obiectum docetur Deum existere, Deum revelasse, Deum ea revelasse quae per magisterium ecclesiae vivum proponuntur. Quare nullum dubium, stante fide, admittere potest.

Quod si dubium venit ei utrum fides stare debeat, praesto ei est argumentum ex signo levato inter nationes, nempe, ipsa ecclesia, DB 1794, et accedit gratia Dei qua intellectus illuminatur ad sufficientiam evidentiae perspiciendam et ad ipsam fidem volendam. Deus enim non deserit nisi prius deseratur. DB 1794, 1815.

17. De necessitate fidei.

a Obligatio credendi, DB 1789, 1810.

b Necessitas medi: "... fidei, sine qua nulli contigit iustificatio" DB 799; "fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire" DB 801. Vide etiam DB 1645, 1172, 1173.

c Obiectum minimum explicite credendum: Hebr., 11,6: "quia Deus est et inquirentibus se remunerator est." Vide DB 1172.

N.B. Cum id quo implicite creditur, in alio contineri debeat, fieri non potest ut omnia implicite credantur.

d Motivum est auctoritas Dei revelantis. DB 1173 damnat hanc propositionem: "Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad iustificationem sufficit."

e Utrum obiectum minimum sit verum supernaturale.

Quod Deus est et inquirentes se remunerat, dupliciter intellegi potest. Primo modo, ut thesis philosophica, et sic non est obiectum minimum. Alio modo, ut implicite continens tantum quod Deus revelavit, et sic est obiectum minimum.

Quod implicite omnia revelata continet, ex motivo habetur, nempe, propter auctoritatem Dei revelantis.

Denique, hoc motivum facit verum supernaturale: uti enim vidimus, verum dividitur in naturale et supernaturale non secundum rem quae cognoscitur, sed secundum lumen quo cognoscitur. Par. 10, 11.

18. De necessitate praeambulorum.

- a) Per praeambula intelligimus illa fidei fundamenta quae certo sed non fide divina cognoscuntur.
Vide Vaticanum: "firmissimo niti fundamento fidem" DB 1794; "recta ratio fidei fundamenta demonstret" DB 1799.
Vide Pium IX DB 1637
- b) Praecipue agitur de facto revelationis, cujus facti ipsa Ecclesia est "magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile" DB 1794
- c) Primus casus est eorum qui ex infidelitate ad fidem producuntur. Quo in casu satis patet per prius factum revelationis est aliunde cognoscendum quam fide divina credendum. Nam motus ad terminum antecedit termini adeptionem. In motum ad terminum habetur fides divina, et tamen requiritur certa cognitio facti revelationis ut quis ad terminum pervenire possit.
- d) Alter casus est eorum qui iam fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt. Illi fide divina factum revelationis credunt, nam ipsum hoc factum revelatum est. Unde quaeritur primo idem ipsum idem factum aliunde cognoscere debeant; deinde unde hanc aliam cognitionem hauriant; et tertio, si eam non habeant, utrum de ipsa fide dubitare debeant.

Ad primam quaestionem dicitur: primo, Pium IX sine distinctione requirere diligentem inquisitionem in factum revelationis ut ipsa fides sit rationabile obsequium, DB 1637; deinde, C. Vat. easdem assignare causas tum veram fidem amplectendi tum in ea constanter perseverandi, DB 1794; tertio, idem Concilium nominare ejusmodi praeambula fidei fundamenta, DB 1794, 1799, ubi innuitur etiam post fidem susceptam fundamentum manere oportere.

Cujus rei ratio sic exponi potest. Ideo actus judicandi vel assentiendi est rationabilis quia alius actus antecedit in quo sufficientia evidentiæ ad judicandum vel assentiendum perspicitur. Sicut primus fidei assensus est rationabilis propter perspectam evidentiæ sufficientiam, pariter assensus subsequentes rationabiles sunt propter perspectam evidentiæ sufficientiam. Quando credimus, propter auctoritatem Dei revelantis vero supernaturali assentimur. Sed ut credamus, ut talem assensum eliciamus, perspicere debemus sufficere evidentiæ ut rationabiliter talem actum ponamus. Quare iterum valet argumentum de motu et de termino adeptio.

Ad alteram quaestionem dicitur secundum Vaticanum, primo, ipsum factum revelationis innotescere per signa externa, miracula, omnium intelligentiæ accomodatam (DB 1790, 1812, 1813) et etiam per ipsam ecclesiam signum et motivum perpetuum (DB 1794), secundo, in utroque casu accedere gratiam Dei (DB 1790, 1794).

Ulterius dicimus ipsum factum revelationis naturali rationis lumine innotescere posse sed gratiam Dei requiri ad cogitationem salutarem qua quaerimus et perspicimus evidentiæ hanc sufficere ad rationabiliter eliciendum actum fidei.

Ad tertiam quaestionem dicendum nunquam esse fide dubitandum. Primo, quia vera est, Deinde, quia ad salutem est necessaria necessitate medii. Tertio, quia est donum Dei et nobis inest magis per gratiam quam per praecambula naturaliter nota. Quare difficultates in materia fidei dubium generare non debent (Ten thousand difficulties do not make a doubt). Sed solutiones sunt quaerendae et auxilium Dei est implorandum tum ut ratio sanetur ad evidentiae apprehensionem tum ut mens illuminetur ad evidentiae sufficientiam perspicendam

Vide DB 1794, 1815; Lennerz, de dubio Hermesiano, p. 17 nota; de erroribus oppositis huic definitioni, p. 231.

e) Obicitur: Sufficientia evidentiae perspicere non potest, nisi ipsa evidentia apprehendatur. Sed pauci evidentiam apprehendere videntur. Pueri enim catholici, adulti inculti, ipsi docti in aliis materiis sed philosophiae et theologiae fundamentalis ignari, quid revera cognoscunt de demonstrata Dei existentia, de deductis attributis divinis, de authentia Novi Testamenti, de miraculorum possibilitate et probatione, de admirabili Ecclesiae propagatione, de eximia ejus sanctitate, de catholica unitate et invicta stabilitate? Imo, ipsi seminariorum alumni probationibus adumbratis sunt contenti. Ipsi professores non totam rem sed hanc vel illam partem plus minus compertam habent.

Primo distinguendum est inter cognitionem rei et difficultatem solutionem. Exemplo sit certa cognitio existentiae divinae. Facile est probare quod Deus existit. At difficile admodum est penetrare mentem Spinozae, Kant, Hegel, Husserl, Heidegger, eorumque errores exacte accurateque refutare.

Deinde distinguendum est inter ipsam cognitionem et ejus expressionem. Quam distinctionem clare illustravit Newman cum illud protulerit, nempe, nos omnes esse certissimos Angliam esse insulam, qui nihilominus rem arduam atque molestissimam duxerimus probationem claram, efficacem, objectionibus nullis obnoxiam praestare hujus obviae insularitatis.

Cujus rei causa est iudicium ab actu intelligendi reflexo procedere, hunc vero actum synthesis multorum diversorumque efficere secundum eorum proportionem ad iudicium anticipatum; quae synthesis atque perspecta proportio neque verbum incomplexum est neque verbum complexum ideoque directe dici non potest sive interius in mente neque exterius per os et linguam; sed mediantibus huiusmodi expressionibus indirecte communicari potest et de facto secundum recipientis intelligentiam, scientiam, sapientiam et prudentiam recipitur.

Tertio, animadvertere oportet similem vigere difficultatem cum quis sibi rationem suae cognitionis dare velit. Rationem dare potest in quantum quaerit utrum necne res ita se habent et simpliciter respondet secundum illud Domini, Est, Est et Non, Non. Si vero quaerit quemadmodum ipse sciat quod verum reputet, in perdifficili analysi psychologiae rationalis involvitur, et illud Aquinatis recolere debet, nempe, diligentis et subtilis inquisitionis esse, quid sit anima, cognoscere. Summ. Theol. I, q. 87, a. 1, c.

Quibus positis, ad argumentum, conceditur maior et negatur minor; ad probationem minoris, conceditur indoctos nescire difficultates subtiliter excogitatas; conceditur tam doctos quam indoctos totam suam cognitionem exterius proferre non posse, et negatur eos non eam evidentiam certo cognoscere in qua sufficientia ad iudicia practica efformanda perspici possit.

f Addi oportet quod in iudicium vel assensum proferendum aliter evidentia apprehensa et aliter eiusdem perspecta sufficientia influunt. Apprehensa enim evidentia se habet ad modum materiae vel instrumenti; perspecta vero sufficientia se habet ad modum formae vel causae principalis. Evidentia enim, quantumvis magna, accurata, elaborata, nisi sufficiens esse perspicitur, nihil facit. Evidentia autem, quantumvis parva vel indigesta, si sufficit et sufficere perspicitur, valide et necessitate quadam rationali iudicium fundat et gignit.

Qua de causa idem est proximum fidei fundamentum in omnibus sive doctis sive indoctis, sive adultis sive pueris, nempe, perspecta evidentiae sufficientia quae per gratiam illuminationis a Deo habetur. Id quod in aliis aliud est, non haec perspicentia sed evidentiae apprehensio est.

g Ulterius concludi potest cur criteriis externis est innitendum.

Primo, quia gratia Dei nos illuminat ad inquirendum et ad perspicendam evidentiae sufficientiam. Alia ergo est gratia Dei, et aliud id in quod inquiritur et in quo sufficientia perspicitur.

Deinde, convenienter hoc aliud est quid externum, puta, miracula, prophetias, ipsum signum inter nationes elevatum. Eiusmodi enim res sunt clarae, obviae, fere palpabiles. Sed de elevatione doctrinae quisque iudicat secundum propriam intelligentiam, scientiam, et sapientiam, quae alia in aliis esse solet. De factis vero internis psychologicis, etsi miraculose esse possent, a mera abnormalitate non facile discernuntur.

Tertio, uti in tractatu de gratia stabilitur, ipsa gratia supernaturalis non subest scientiae humanae. Quamvis enim coniecturare possimus de proprio statu supernaturali, eundem statum esse supernaturalem non possumus scire; actus enim supernaturales sunt tales propter obiecta supernaturalia quae imperfecte tantum intelligimus, DB 1796.

19. Circa fidem in haereticis, diabolis, et scientibus.

Quaeritur primo utrum haereticus fide divina credere possit. Supponamus ergo haereticus affirmare veritatem divinitatis D.N.I.C. Quaestio est utrum fide divina hanc veritatem affirmare possit.

Primo, hoc affirmat fide divina in quantum revelato divinitus assentitur propter auctoritatem Dei revelantis. Secundo, si hoc facit, arduum non videtur eum ab haeresi revocare; non enim propriae scientiae vel naturali indoli vel culturae naturali innititur sed ipsi divinae scientiae; unde aperta est via qua ad omnia revelata amplectenda procedere possit. Tertio, ideo haereticus non est dicendus fide divina credere, quia veritates fidei veras habet; hoc facere potest - - -

non propter auctoritatem Dei revelantis sed propter traditionem familiarem vel nationalem aliasve causas humanas.

b Quaeritur deinde de diabolis qui secundum Iacobum credunt et contremiscunt. Quod Aquinas de coactione eorum intellectus interpretatus est, S.Th. II-II, 5,2, et loca par.

Adest coactio obiectiva ex ipsis rebus rerumque testimoniis. Adest coactio subiectiva propter ipsam perspicuitatem ingenii diabolici: daemones enim puri spiritus sunt; neque inanioribus rationalizationibus humanis indulgere possunt.

Quae coactio sequitur syllogismos ex quibus incepimus et ad ipsam fidei veritatem pervenit. Ex analysi fidei enim constat ratioabiliter homines ex signis externis per gratiam et libertatem ad affirmandum verum supernaturale pervenire. Quod non solum nobis sed etiam diabolis est perspicuum. Quare daemones, proprio intellectus lumini inhaerentes, per rationem veri transcendentalis mysteria affirmare possunt. Quia vero non credunt propter auctoritatem Dei revelantis, verum supernaturale non attingunt, quamvis motionem veri supernaturalis (quae notio non excedit proportionem intellectus naturalem) attingant.

c Fides denique quae scientifica dicitur, eiusdem generis est. Innitur enim in hoc asserto, nempe, credendum esse verum. Quod assertum stabilitur in scientia de natura fidei sive naturalis sive supernaturalis.

20. Circa illud, "Recta ratio fidei veritatem demonstrat."

a Invenitur in encyclica Pii IX, DB 1635.

Error contra quem scripsit S.P. exponitur DB 1634, nempe, eorum qui ita sibi philosophorum nomen arrogant ut palam publiceque edocere non erubescant, commentitia et hominum inventa esse sacrosancta nostrae religionis mysteria.

Adeo S.P. a mente Hermesiana aberat ut data occasione post aliquot menses damnationem Gregorii XVI (DB 1618-21) renovarit. Denziger, p. 457, nota 1.

Quare hic locus non est interpretandus quasi assensus fidei non sit liber, quasi rationibus necessariis producat, vel quasi gratia non requiratur ad ipsam fidem. DB 1814.

Neque "recta ratio" est simpliciter identificanda cum illa "ratione humana" quam S.P. peccato originali vulneratam et extenuatam describit. DB 1643 f.

b Sensus S. Pontificis satis patet ex ipsis suis verbis:

DB 1636: religio catholica totam suam vim ex auctoritate Dei acquirit, neque ab humana ratione deduci aut perfici unquam potest.

DB 1637: ponitur principium credentitatis.

DB 1638: applicatur principium ad factum revelationis.

DB 1639: concludit quod credendum est.

Ex quibus satis elucere videtur S.P. loqui de processu logico qui veram conclusionem ex veris praemissis deducit.

wan

Toronto, March 8, 1952.